

quondam ex *Homero* petitam fuisse, *Crusius* & alii *Scriptores* docent celebratissimi. Non deesse in *Homero* Medicæ artis placita, eidemq; nec παιδολογικὴν, nec θεραπευτικὴν, neque διασθητικὴν (quibus verò partibus tota absolvitur ars medica) haud incognitam fuisse, ex *Plinio* discimus, ubi de inventione herbarum, & antiqua Medicina scribit, inqviens; *Homerus* primus doctrinarum & antiquitatis parens, gloriam herbarum *Ægypto* tribuit, & herbas *Ægyptias* à Regis uxore traditas suæ *Helena* plurimas narrat: ac nobile illud *Nepenthes*, oblivionem tristitiæ, veniamq; afferens & ab *Helena* utiq; omnibus mortalibus propinandum.

Et ita hæctenus egi de *Homeri* Parentibus, Patriâ & Præstantiâ, nunc videndum, quo genere mortis tam nobilis Poeta exspiraverit, sed breviter ne vestrâ in auscultando benevolentiam abuti videar. Sicuti enim è cibus maximè laudantur, qui minimum detrimenti, succi plurimum habent: ita oratio maximi facienda, quæ paucis verbis, res plurimas complectitur. Constituens *Homerus* è Samo Athenas proficisci, in Insulam Ion defertur, ibiq; ægotans in littore relinquitur: ab oppidanis Jentibus invisitur, & in admiratione habetur: sed ex eo morbo non convaluit. Interim pueros piscatores è naviculâ egressos & dicentes: se, quod ceperint, reliquisse: quæ non ceperint, secum adferre: ænigma hoc de pediculis, seu pedibus, uti *Plautus*,

Unus qui Latie princeps ac regula lingue.

Loqui amat, interpretantes, laudat, dicens:

Hi vos, ô pueri, tales genuere parentes

Nec latæ fundis, gregibus neq; mille potentes.

Nec propterea, quod id solvere non potuisset (inquit *Herodotus*,) mortuus est, ut nonnulli, inprimis *Plutarchus*, arbitrantur: sed vi morbi oppressus, naturæ lege resolutus fato concessit. Extinctus verò à comitibus suis, atque civibus, qui

qui